



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 3. Quænam sunt pœnæ violantium Interdictum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

bili mortis articulo, c. 11. *de pœnit.* quare tempore interdicti prohibentur duntaxat Eucharistia danda Laicis sanis. Ordinatio, Extrema Unctio, quæ tamen secundum varios conferri potest infirmis, qui nequeunt alia Sacramenta suscipere, quia tunc est necessaria, & Benedictio Nuptialis. Quo ad Sacramentum Matrimonii, juxta multos licitè & validè contrahitur in omnibus Interdictis.

3. Est prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ in interdicto locali extenditur ad infantes & amentes. Si tamen interdictus jam sit humatus in loco sacro, quamvis illicitè, non est exhumandus. Clerici, autem qui non sunt specialiter interdicti nec interdictum violant, possunt sed sine cantu & campanarum pulsu sepeliri in loco sacro interdicto, sed non specialiter, c. 11. *de pœnit.* Laici verò, qui non sunt personaliter interdicti, nec causam culpabilem interdicto dederunt, sepeliri possunt in loco sacro non interdicto.

Porro qui ob interdictum humatus est in loco profano, eo finito transferendus est in locum sacrum; modò non fuerit specialiter interdictus, nec causam interdicto dederit.

Q. 3. *Quenam sunt pœna violantium Interdictum?*

Resp. 1. Peccant mortaliter, nam præceptum Ecclesiæ violant in re gravi. 2. Qui illud violat exercendo actum proprium Ordinis, fit irregularis, c. 18. & 20. *de sent. excom.*

Rr 2

in 6.

in 6. 3. Excommunicationem Papæ reservatam incurrunt Domini temporales compellentes Clericos ad celebranda publicè Officia in loco interdicto, vel impediens ne publicè excommunicati aut interdicti exeant tempore Officiorum. Item ipsi interdicti post monitionem non exeuntes, Clement. 2. de sent. excom. 4. Qui interdictos extra casus concessos scienter sepeliunt in loco sacro, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam, Clement. 1. de sepult. 5. Excommunicantur Religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum generale locale à Papa vel Ordinario latum, quando servatur à Matrice Ecclesia, vel à Parochiali loci in quo habitant, Clement. 1. de sent. Excom.

Q. 4. Quid est Cessatio à divinis?

Resp. Est Ecclesiastica prohibitio, quâ Clerici sub mortali cessare debent à celebratione Officiorum divinorum, & administratione Sacramentorum; nisi quatenus necessitas postulat. Fit in signum gravis doloris ab Ecclesia concepti, ob gravem aliquam injuriam sibi vel honori divino illatam, & per modum justæ defensionis. Eosdem fermè effectus habet quos interdictum. Non est tamen Censura, cum non sit pœna medicinalis: unde ejus violatio, licet sit mortalis, non inducit Irregularitatem. Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem, *Clement. de sent. excom.*

CAPUT